

Ann. VIII.

Num. I.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italianam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0,10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA" Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

LONDON W.

28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK CINCINNATI

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

52, Barclay Street. 436, Main Street.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

- Post Mariana sollemnia.
De Mariana artium exhibitione.
Coetus Marianus.
Oratio Vincentii S. R. E. Card. Vannutelli ad Marianum Conventum in Urbe auspicandum.
Oratio Emi Viri Iosephi Card. Vives y Tuto ad Conventum Marianum concludendum.
Gerardus Maiella.
Alexander Sauli.
De arte poetica Iudicra, seu de poesi artificiosa.
Acta pontificia: SS. D. N. PII PP. X « Motu proprio » de constabilienda conditione hierarchica Ordinum Scholarum Piarum et Minorum in Hispania.
EX SS. Congregacionis Romanorum
Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Vita functi viri clariores. - Varia.
Annales: Iaponicum bellum. - Balkanicae res. - Africa in Germanos seditio. - Pacis foedera.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Libri recens dono accepti.
Aenigmata.
Epistolarum commercium.
- In secunda operculi pagina:
“Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimus,,

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

*Sociis et lectoribus**Commentarii nostri humanissimis.*

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum MDCCCCV ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos proximo etiam anno convenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum* opus reddant nostrum. Fasciculus ipse, quem hodie vulgamus, confirmat profecto quanta cura, quanta alacritate munus iamdiu susceptum persequamur, singulariter insignia facta illustrandi, quae per annum occurrant; haec etiam minime intermittamus, eoque magis quod iubilare hoc tempus Marianum occasiones sit praebiturum qua specimen religionis artisque nostrae exhibeamus; eoque facilius quod sorte contigerit ut recensio illa christiana pietatis in Deiparam ab ipso ARISTIDE LEONORI equite, Commentarii nostri possessore, in Lateranensi palatio Pontificiae « commissionis » mandato fuerit composita.

Sed aliud quoque aperte nuntiandum, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet brevi a nobis iri editum, in quibus, quasi in parva tabula... simplici, eoque facili, stylo, descriptionibus, parvula tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliuiscemur, imo etiam propius prospiciemus.

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italianam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit;

Praemia sociis mittentur post Februarium mensem.

eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alios duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos subnotatores de favore ipsi concessu aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione decurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. MDCCCCV sexaginta novas subnotations collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atque autem omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. MDCCCCV debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice* expressa metr. 0,32 × 0,45 Pium X Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem. — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. 0,22 × 0,45 iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. MDCCXLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

Restat nunc ut sollicitudini nostrae sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

In Italia:
Lib. 6, 25, D

POS

VATICANUM p
sacra splende
redem sedentem
tioni erat maxim
agmen, albis infu
dentes omnes pa
ostio ad altare. I
ritatis affectus e
in animo; diceres
universam terram
tholicarum genti
umbienium, ad os
stratos videre om

Insignis ille E
orbis terrarum ta
sanetissimam Eius
solemnissima Imm
stit, tutelam sibi in
gregi Mariae num
vocabat; per Eam
novas crucis victo

Et profecto qua
cundissima liceat
colligere. Leonis I
denta regiminis
triumphum, ut ub
catholicarum genti
corum quoque et
regnum et gloria
tam hereditatem
Pius iam suscep
stianorum quoque
nam, vitam in C
igitur melioris ac
inficiamur Gallor
ciis maxime adv
in gente, ubi ma
gloria affulserat e
etum nituerat, Sa
descat; verum i
non omne malum
salutem parere, I
sanare. Profecto l
Deiparae sine la
tur, perfidi illi G

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

POST MARIANA SOLEMNIA.

VATICANUM per templum dum producitur sacra splendida pompa, quae Petri heredem sedentem in throno praecedit, admirationi erat maxime episcoporum densissimum agmen, albis infulis insignium, qui bini incidentes omnes paene templum compleverant ab ostio ad altare. Insoliti fidei sensus, insueti caritatis affectus eo spectaculo commovebantur in animo; diceres enim tot pastoribus ibi coactis universam terram convenisse in templum catholicarum gentium maximum, et prope fidei umbiculum, ad ossa Petri, ad pedes Pii X prostratos videre omnes populos.

Insignis ille Episcoporum senatus, universi orbis terrarum tanta comitia, auspice Maria sanctissimam Eius diem celebrabat, cuius, dum solemnissima Immaculatae Conceptus laude gestit, tutelam sibi implorabat: quisque pastor suo gregi Mariae numen, praesidium, tutamen invocabat; per Eam, antiqui serpentis victricem, novas crucis victorias implorabat in orbe.

Et profecto que ruit hora ea est unde iunctissima liceat christiano nomini auspicia colligere. Leonis XIII sa. me. sapientia et prudencia regiminis summa eum assequuta est triumphum, ut ubique terrarum non tam per catholicarum gentium regna, quam per haereticorum quoque et infidelium regiones Christi regnum et gloriam novo alite induceret. Tantum hereditatem liberali animo decimus hic Pius iam suscepit, ut opus perficeret et christianorum quoque mores, litteras, artes, doctrinam, vitam in Christo instauraret. Bona spes igitur melioris aetatis undique illucet. Hanc inficiamur Gallorum rem publicam tot auspiciis maxime adversari, quasi ea adamussim in gente, ubi maxima Deiparae Immaculatae gloria affulserat et thronum eius Lapurdii erexit nituerat, Satanae odium maxime exardescat; verum in memoriam revocare iuvat non omne malum perniciem, sed plerumque salutem parere, Deumque castigando nationes sanare. Profecto hisce ipsis diebus, dum Romae Deiparae sine labe solemnissima dies celebratur, perfidi illi Gallorum praesides impiorum-

que asseclarum auctoritas nutare iam male usurpati in subcelliis visa sunt. Gallorum inertiae tantum monimentum recentiores eventus attulisse non sine salubri consilio fuit.

Haec itaque si seponas, per reliquas gentes, Christi nomen et Petri sedem veneranda ubique populis et regibus sive Catholicis sive ethnicis vides, et Anglis, et Americanis, et Borussis ipsisque Turcis Romani Pontificis auctoritatem esse insignem, quam et Vilhelmus Caesar et Eduardus rex et Rooseveltius consul certatim digno honore prosequuntur. Interea et per barbaras gentes omnes Christiani regni signa in dies producuntur, novique in dies populi in Ecclesiae gremium veniunt; iamque communem Patrem, qui est in caelis, invocare non modo Aethiopes et Sinenses, verum et ultimi usque Iaponii didicunt. Quae quidem tropaea non armis parta sunt et sanguine, sed una caritate. Nonne enim et ubi teterimum illud bellum ultima in orientis terra flagrat sauciorum tentoria, apud ipsos Iaponios, crucesignatis vexillis insignia vides?

Hac arte Christi regnum diffunditur; vel dum insana quadam superbia et dominii cupiditate homines vicissim sese caedunt, et per horrendas clades caritas eius aeque benigna christianis pariter et ethnicis subvenit. Eae vero caedes pugnaeque teterimae ut tandem aliquando desinant Virgo Deipara hos inter triumphos Immaculatae Conceptionis suae concedat, atque hinc inde animis suadeat, non superbia, neque armis, neque crudelitate crucis Victorias parari, sed fraterno studio et humanitate. Huius suavissimae lucis splendore capti Iaponii Deum verum agnoscent et, quem Ille misit, Iesum Christum; Russi autem recognoscant Petrum et ad male relictum eius ovile amotis odiis et superbia redeant. Cumulet vero has spes Virgo redditis tandem Petri successor iuribus; hie autem, benignus ut est atque suavis, paterno amore filii omnibus in Christo sociatis benedicat.

DE MARIANA ARTIUM EXHIBITIONE.

Epraecipuis modis, quibus quinquageneria haec suavissimi dogmatis commemorationis Romae celebrata est, saerarum ingenuarum artium exhibiti principem tenuit locum, quae in Lateranensis aedibus patet, in celeberrimo illo palatio, quod Xystus V Pontifex, Fontana architecto, excitavit super ruinas veterum aedium ubi Pontifices antiquitus sederant, et saeculo XIV ignis abruperat. Gregorius XVI Pontifex partem aedium asservandis antiquitatis monumentis addixit, quae nec in Vaticanis, neque in Capitoliniis museis recondi potuerant; museum denique christianum et pinacothecam Pius IX addidit.

Auguralis sessio in aula a musivo dicta habita est. Vir eminentissimus Dominicus Ferrata praefuit, qui mira oratione de arte christiana dixit atque de eius triumphis, quibus Deipara donata est. «Uti enim, ille ait, Verbum Dei totius pulchritudinis summam praefert, ita Mater eius et Virgo Maria rerum omnium quae in mundo factae sunt, pulcherrima evasit; virginibus pariter et matribus exemplum sanctitatis Ipsa preeest; eius lumine perculta ingenuae omnes artes resplendent». Haec et alia multa facundo ore Purpuratus Pater quum dixisset, Pii X nomine exhibitionem artium patere populo nunciavit.

Aulae ubi monumenta prostant tredecim numerantur. Commentarii nostri gestor Aristides Leonori, architectus, totius exhibitionis ordinem et formam, et laboris omnes moderatus est.

Habent primae aulae Mariae statuas, tabulas, icones sine numero. Eas inter pleraque ex originalibus aut aere cusaee, aut luce expressae sunt, atque aptis libris digestae, qui de pietate fidelium maximum praebent documentum.

Post aulam IV tria cubicula Capucinorum sodalium monumenta in Deiparam sine labe collecta ostendunt. Contra autem, sacerdotales vestes pretiosissimae dispositae variis modis, auro, argento et sericis staminibus contextae et acu pictae; praeterea Mariae plures imagines, quas Sinenses in ultima Asia venerantur.

A quinta aula ad septimam imagines omnes prostant, quas Vaticanum Capitulum per omnem orbem aurea corona redimivit; quae etsi non omnes pulcherrimae sint, plurimum tamen vel historia vel antiquitate valent.

In aula VI libri paene innumerabiles dispositi, qui Mariae sine labe laudes omnibus linguis

enarrant. Aulam VII Minorum Franciscalium Ordo suis monumentis complevit.

In sequentibus aulis iterum et tabulae et signa habentur: quae inter eminent liber a Benedictin Monachis in Casino monte paratus, ubi imagines Deiparae piissimas colleguntur. Maximo pretio vero est series imaginum ipsius Deiparae, quas luce expressas Alinari fratres Florentiae habent et heic omnes exposuerunt.

Media in aula V columnae imitatio elevatur, quam in Urbe Pius IX ad memoriam promulgati dogmatis posuit. Pariter sequenti in aula gypsea forma exemplatae eminent sacrae aedes Nostrae Dominae *de la Garde*, Massiliensibus dilectissimae. Pendent autem ex parietibus gypseae sculpturae Hetruscorum artificium Donatelli, Mimi Faesulani, Desiderii a Settignano, Lucae della Robbia, Benedicti a Maiano. Sequuntur tabulae lectissimae, quae veluti coronam efficiunt infulue quam Pius IX Pontifex, quin dogma promulgavit, gestabat, in media aula XII collocatae.

In XIII denique, eaque latissima, medium tenet serinium ubi Bullae « Ineffabilis » exemplaria omnibus linguis interpretata custodiuntur; serinium ostendebat quoque coronam illam adamantinis stellis duodecim micantem, quam totius orbis fideles Mariae donaverunt, et cui modo Pius X Pontifex, eius ad imaginem Vaticano in templo, priusquam affigeretur, benedixit.

Haec monumenta cultus ab omnibus gentibus omni aetate Mariae praestiti videre in Lateranensisbus aedibus licet, et admirari quae saeculo anno tum Romanorum tum peregrinorum animos magis magisque ad pietatem in Eam erigant.

COETUS MARIANUS.

MARIANUS coetus, qui primis Decembrib mensis diebus Romae est habitus, quinque iam alibi convenerat: anno MDCCCV Labrone, anno MDCCXCVII Florentiae, anno MDCCXCVIII Augustae Taurinorum, quum celebris illa sacrarum artium recensio ibi disposita esset, anno MCM Lugduni, anno denique MCMLI Friburgi in Helvetia, praeside Maximiliano Sauniversi regina Deipara salutata est.

Locus Urbanis sessionibus fuit in basilica SS. XII Apostolorum, ubi iam, anno MDCCCLIV solemnissima concio habita fuerat, ut omnibus mundi linguis Immaculata Deiparae Conceptio recens dogmate declarata celebraretur.

Pridie Kal. Decembr. anguralis sessio coivit, cui praeftere a Pontifice delegati Patres Purpuriati Vincentius Vannutelli, Marianus Rampolla del Tindaro, Dominicus Ferrata, Iosephus Vives y Tuto; adfuerunt pariter alii Purpuriati Patres, Episcopi Antistitesque plurimi. Latina lingua primus orationem habuit eloquentissimam, quam honori ducimus in has paginas referre, Vincentius Cardinalis Vannutelli; post quam litterae breves a SSmo Dño Nostro Pio PP. X ad coetum missae perlectae sunt. Ibi post memoratum quantum ad redimendum in Christo mundum fidelium studium in Deiparam Virginem

contulerit, coetus promotores laudantur atque invitantur ut aptis sententias modum augendi ubique Mariae cultum inveniant.



Consilia in coetu tribus praesertim de causis agitata sunt: de Deiparae cultu, de libris eius in honorem vulgatis aut vulgandis, de sodalitatibus ac de piis Mariae comitatibus. Habitae sunt sessiones bis in die: mane generales, vespera autem peculiares; atque tandem VIII Idus Decembris postrema sessio, eaque celeberrima. Recitato enim a postremis oratoribus sermone, relationes et propositiones et variae sententiae suffragiis per varias sessiones firmatae perleetae sunt. Surrexit tandem vir Eminus Iosephus Calasanzio Vives y Tuto, qui orationem salutationis latina lingua habuit, qua pariter *Vox Urbis* nostram honestamus. Impositus postremo finis conventui hymno musicis modis apte vestito, quem Leo XIII postrema vitae suae aetate carmine condiderat.



Praecipui coetus oratores fuere Touchet, Aurelianensis episcopus; Tarbesiensis episcopus Schoepfer; Alaessianus in Mexico episcopus Montes De Oca; Iosephus Wilpertius praesul; Augustinus Molinius, sodalis Sancti Francisci; Caietanus Zocchi e Societate Iesu; Alexius Lepicierius e Deiparae Famulorum Ordine; Vanghanius, Anglus Societatis Iesu sacerdos; Kottmannus, sodalis francisealis Germanus; Augustinus Lemannius, Gallus canonicus; Ruppertius, Germanus sacerdos et doctor, diarrii *Kölnische Volkzeitung* scriptor, Aloysius Olivi, Italus in Mutinensi athenaeo doctor; Basilius Machado, Brasilianus in athenaeo Sancti Pauli doctor; Iosephus Toniolo, Italus doctor in athenaeo Pisano; Raphael Rodriguez, Hispanus doctor athenaei Valentiniensis; De Mun, Comes Gallus; Carolus Santucci, Comes Romanus; Saensis episcopus Castellotte; Arsenius Pellegrini, Cryptae ferratae Abbas; PP. Franciscus Paolinius, David Fleming, Ulricus Hüntermann sodales S. Francisci; Marcus Sagnierius Gallus; Gilbertus Bromius, doctor Batavus; Monsonius sacerdos Iberus, Philippus Tollis, Augustus Persichetti, Pius Folchi, Romani equites; et Ioannes B. V... *de Urbe.*

|||||

ORATIO

VINCENTII S. R. E. CARD. VANNUTELLI

AD MARIANUM CONVENTUM IN URBE
AUSPICANDUM (1).

Eminentissimi Principes, Amplissimi Viri.

PERPETUA recordatione dignissimus in fastis Ecclesiae dies profecto dicendus est, quo Pius IX Pont. Max. catholici orbis annuens votis, adstante purpuratorum Patrum et sacro-

(1) Honori nobis ducimus *Vox Urbis* paginas Purpuratorum Patrum Vincentii Vannutelli et Iosephi Calasancii Vives y Tuto orationibus condecorare; idque omen sit ad favorem erga nostrum Commentarium in dies augendum.

rum antistitum corona confertissima, supremi magisterii sui auctoritate solemniter pronuntiavit: *Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti sue conceptionis fuisse, singulari Dei privilegio, ab omni originalis culpe labe præserrata immunem.*

Magnam ex eo die ex eaque sententia voluntatem universi cepere fideles, maxime qui hac in alma urbe tunc versabantur, quorum conceptus ardor similitudinem habet effusae laetitiae ephesiorum, tum quum a Concilio III oecumenico Mariae adseritus ac sacratus titulus est Θεοτόκος; quo ex nomine cetera flunt electae huius creaturae privilegia.

Rem autem ita se habere necesse fuit penes fidelem populum. Non enim potest a christiana pietate seiungi eius Foeminae cultus, ex qua ortus est sol iustitiae Christus Deus noster, aut ulla temporum diurnitate languescere; quin etiam catholicae Ecclesiae filii occasionem prætermittent nullam amoris in Ipsam et obsequi sui publicis iisque insignibus argumentis exprimendi.



Annus ab eventu illo faustissimo quinquagesimus stimulos admovet catholicis viris, ut novis etiam religionis et gaudii significacionibus tantae rei memoriam prosequerentur. Quod quidem probe vidit sapientissimus Pontifex Leo XIII, qui, properante iam tempore Marianae huins recolendae celebritatis, peculiarem quatuor Patrum Cardinalium designavit coetum, quibus procuratio esset instaurandorum ea de causa solemnium. Hos nunc festivos apparatus de caelo exsultans prospicit Leo, unaque cum ipso Cardinales et Episcopi, quorum corona septus immortalis memoriae Antecessor eius decretum edebat omnium iucundissimum.

Leonis vox a divinitus dato novo Pontifice iterata et confirmata, admirabili studio et summa animorum consensione, qua patet orbis, excepta est. Ad Pii X nutum penitus commoventur populi recinunque plaudentes: *Tota pulchra es Maria;* in Dei Matrem reviviscit amor; munus ac quasi patestra certantium de maximis honoribus Virgini tribuendis ob diei memoriam, quo inserta divinitus eius candidae fronti pretiosissima gemma splendidiore luce resulit.



Evidem haud mihi opus est, amplissimi Viri, insigne hoc amoris fideique spectaculum vestris oculis fusa oratione subiicere; quin etiam conspectus hic vester et convocatus ex dissitis regionibus vester coetus rei quasi compendium exhibet ac synthesis eloquentissimam. Vestra perincunde resonat vox hodierno gentium concentui: « Oh quam pulchra, oh quam sancta es Maria; candor es lucis aeternae et speculum sine macula ».

Quod si quaeratur intimus cur tanta aemulatione celebrandus proponatur annus ab asserto Mariae honore quinquagesimus, hand op-

nor a veritate existiment in ingenuis hominum generis, gulari hoc privi-

Enimvero, nondum diae divinae pri- nae reparationis ut Verbo divino tam præparare rem prænuntiatur, cum miseris Ad- tanta futura par denique nuntio in Satana, Ecclesiaq

Quia fecisti ha- penti, — inimici rem, et semen tuum teret caput tuum eius (1). Ac si di- lica, ad ruinam belli, rilis prævaricationis alteram suscitabo, perpetuas inimicis ipsam, tuam inter stra conaberis in virgineo pede tua vicem.

Compertum est de litteris eos appellasti Ecclesia descivit, facit peccatum ex pervicacibus inidae vos ex patre diabolus mulieris, idest eius, salutavit, primum Filius ac Servator Mariae sinu, Spiritus carnem assumpsit. Vaticinio quod oppen- tis — collectiviter scimus adoptet etiam qui spiritu nostra maxime consem- semen mulieris — vita regeneratos homines obsequentes per tem erga novam Huiusque, si quae for- exemit divinus ipsius fixus, antequam exiret, Genitricem suam matrem nostram es-

Itaque commemo- quagesimi a promul- tiquae labis experti gelio prænuntiatur luti campum. In a dignissima, gratia p-

(1) GEN. III, 14 seq.

(2) III, 8.

(3) IOANN. VIII, 44

fertissima, supremi
solemniter pronun-
m *Mariam in primo*
uisse, singulari Dei
s culpae labe pree-

que sententia volu-
es, maxime qui hac
antur, quorum con-
habet effusae lae-
a Concilio III oecu-
sacratus titulus est
etera fluent electae

necesse fuit penes
potest a christiana
nae cultus, ex qua
us Deus noster, aut
languescere; quin
lii occasionem pree-
Ipsam et obsequii
us argumentis ex-

ustissimo quinqua-
at catholicis viris,
et gaudii significa-
am prosequerentur.
sapientissimus Pon-
trante iam tempore
celebritatis, pecu-
nialium designa-
tio esset instauran-
tum. Hos nunc fe-
runt exultans prospicit
inales et Episcopi,
talis memoriae An-
pat omnium iueun-

ato novo Pontifice
ili studio et summa
pates orbis, exce-
nitus commoventur
es: Tota pulchra
vicit amor; mun-
tum de maximis
ob diei memoriam,
ndidae fronti pre-
re luce resulsi.

est, amplissimi
ique spectaculum
iicere; quin etiam
ocatus ex dissitis
uasi compendium
ntissimam. Vesta
rno gentium con-
oh quam sancta
ternae et specu-

cur tanta aemu-
tur annus ab ad-
esimus, haud op-

nor a veritate discedere qui positam causam
existiment in ingenti solatio quod affert, quum
hominum generi, tum catholicae Ecclesiae, sin-
gulare hoc privilegium.

Enimvero, nonne ipsum designat misericordiae
divinae primum veluti gressum in humanae
reparationis mysterio? Nonne id spectavit
ut Verbo divino dignam omnique gratia refer-
tam praepararet matrem? Nonne Deus ipse
rem praenuntiavit promittens in horto delicia-
rum miseris Adae filiis redemptionem, cuius
tanta futura pars esset altera Heva? Nonne
denique nuntio illo portendebantur Christi de
Satana, Ecclesiae de suis hostibus triumphi?

Quia fecisti hoc, — ita Deus tartaro ser-
penti, — inimicitias ponam inter te et mulier-
em, et semen tuum et semen illius: ipsa con-
teret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo
eius? (1). Ac si diceret: — quia fronde diaboli-
ca, ad ruinam humani generis, ministram vi-
rilis praevicationis adhibuisti mulierem, ego
alteram suscitabo foeminam, suscitabo Mariam;
perpetuas inimicitias ponam inter te atque
ipsam, tuam inter et ipsius progeniem; tu fru-
stra conaberis insidias illi locare; ipsa enim
virgineo pede tuam conteret venenatam cer-
vicem.

Compertum est daemonis progeniem in sacris
litteris eos appellari, qui a Deo et a Iesu Christi
Ecclesia desciverint, iuxta illa Ioannis: qui
facit peccatum ex diabolo est (2), aut quae de
pervicacibus iudeis a Christo dicta leguntur:
vos ex patre diabolo estis (3). Progenies autem
mulieris, id est eius, quam Gabriel gratia plenam
salutavit, primum quidem procul dubio Dei
Filius ac Servator noster est, qui ex virginali
Mariae sinu, Spiritus Sancti virtute, mortalem
carnem assumpsit. Verum, quia in memorato
vaticinio quod opponitur verbis — semen ser-
pentis — collectivum aliquid indicat, ac pae-
tarea scimus adoptivos Dei filios esse illos
etiam qui spiritu Dei aguntur, idcirco Fidei
nostrae maxime congruit sub appellatione —
semen mulieris — intelligi quoque divine gra-
tia regeneratos homines, qui Deo, qui Ecclesiae
sese obsequentes praestent foveantque pietate
erga novam Hevam. — Dubitationem de-
nique, si quae forte supersit, nonne omnem
exemit divinus ipse servator, quum cruci ad-
fixus, antequam extremum vitae spiritum ede-
ret, Genitricem suam augustissimam eamdem
matrem nostram esse declaravit?


Itaque commemoratio solemnis anni quin-
quagesimi a promulgato Virginis mysterio anti-
quiae labis expertis, prout in ipso primo evan-
gelio praenuntiatum est, duplice exhibit ve-
luti campum. In altero nitet mulier omnium
dignissima, gratia praedives, adversus insidias

(1) GEN. III, 14 seq.

(2) III. 8.

(3) IOANN. VIII, 44

aeterni sui hostis invicta, arctissimo nexu con-
iuncta cum fructu sui ventris Iesu, a quo cae-
lestia eius ornamenta diminant. Utique adhae-
rent, tamquam filii adoptionis, quotquot, su-
pernae gratiae munere, supernaturali vitae sunt
restituti. Alterum tenet campum Satavas cum
suorum phalange satellitum, in reparationis
opus capitali odio flagrantium. Inter utramque
aciem aeternum exardescit bellum; nullis in-
duceis aspera lucta exercetur. Quin etiam gli-
scit in dies daemonis adstipulatique illi ag-
minis furor; haud unquam tamen vario certa-
minis exitu. Namque excelsa Mulier, suffulta
quidem Filii meritis, tartaream hydram con-



Corona duodecim stellarum ex gemmis,
qua in memoriam Iubilaei a promulgato dogmate
Immaculati Conceptus B. V. M.
Vaticana Deiparae imago redimita est.

tundit, antiquissimum vaticinum dantur vi-
ctoria confirmans: Ilsa conteret caput tuum.
In his omnibus, amplissimi Viri, nonne vi-
detis quasi descriptam in tabula Ecclesiae his-
toriam, acriter usque impetitae semperque
triumphum agentis? Praeteritae vero aetates
edocent satis, quid in posterum sit exspectandum.
Quamobrem quid est cur miremur, cat-
holicas gentes tanto voluntatum consensu tan-
to studio hodiernae solemnitatis petere so-
ciatem?

Interea tam unanimis, tam vastus, tam com-
munis hominum assensus voci profectae ab hoc
unitatis catholicae centro, non habet solum si-
gnificationem laetitiae, fidei ac pietatis in Dei-
param labis omnis immunem, sed hoc ipsum
et Ecclesiae et Romani Pontificis novus triun-
phus est idemque splendidissimus.

Nec fieri sane aliter potest, quandoquidem
Magnae Virginis cultus et obsequium erga Ro-
manum Pontificem, ab eodem ducta principio,
in eundem finem conspirent, qui finis est Chri-
stus Iesus. Animadvertis, quaequo, duo haec inter
se quam apta sint atque coniuncta. Hinc Maria
Iesu Paren; hinc Pontifex Iesu vices gerens
in terris. Illam exoramus uti matrem; ad hunc
uti ad patrem configimus; illam Deus plenitudo
gratiae cumulavit; hunc iurisdictionis;
illi adhaerere, iuxta Patrum doctrinam, pignus
est aeternae salutis; cum Pontifice consociari
certum indicium est communionis cum desti-
nata triumphis Ecclesia; in interiori adminis-
tratione gratiae Deus *omnia nos habere voluit per Mariam*; in externo humanae societatis
regimine omnia nos habere voluit per Pe-
trum, cui traditae sunt claves regni caelorum
Quemadmodum denique in vaticina illa ima-
gine praedictum est, infernum serpente ac pe-
dissequos victoram ex Maria eiusque fidelibus
filii relatuos nunquam, ita etiam de Christi
asseclis Petro adhaerentibus, unde vera co-
alescit Ecclesia, est praenunciatum *portae inferi non prevalebunt*. Sic duplex ista religio
mutuo quodam complexu procedit atque alterius
ope robatur.

Quae cum ita sint, Fratres, vota edamus, ut
uterque cultus, christiana professioni nedum
conveniens, sed necessarius, angeatur in dies
vigeatque apud catholicas gentes. Id scilicet
est huic coetu nostro propositum; id opitulante
Deo et Virgine labis nescia totis viribus as-
sequendum. Quod si nullo non tempore oportuit
duplici, quam diximus, pietate muniri
quanto magis qua aetate vivimus, quum iam
Fidei capita non seorsim impugnantur, sed uni-
verso impetu facto in catholicae veritatis ar-
cem, Christus ipse loco deiicitur? In hac re-
rum conditione miserrima, obsequium Pontifici
populos in fide ac disciplina continebit, da-
bitque tutos ab insidiis et fallaciis inimicorum
crucis. Mariana vero religio adiumento erit
validissima ad creationem divinam thomam
custodiendos et ad solidam excitandam foven-
damque pietatem.

Annuat hisce votis Omnipotens, nobisque
fortunet sacros inclytae Virgini dies. Iamque
mihi nihil restat, nisi ut Marianum conventum
rite initum atque inauguratum esse significem
nomine coetus Patrum Cardinalium a SSmo
Domino delegati, a quo coetu delatus mihi
honor est vos paucis alloquendi. Alacrem, Fra-
tres, admovete operi manum, auspicis Mariae
atque Apostolica Benedictione Pontificis nostri
amantissimi Pii X. Quo utroque erecti pae-
silio, unanimi fervidaque prece Mariam in-
voemus: — Ave, gratia plena: ave, columba
candidissima. Tu tamdiu experta de antiquo
dracone triumphos, tuere nos ab eius novissimis



Dum Mariana artium exhibicio paratur
imaginem photographice expressit X.

fraudibus; adhuc insidiantem calcaneo tuo, extrema molientem in Ecclesiam Christi et in Eum qui Ipsius vices gerit in terris, contere virgineo pede. Quas pro Ecclesiae pace ac salute, quas pro Petri herede fundimus preces commenda aeterno Regi, dilectissimo Filio tuo. — Oremus, Fratres, pro Pontifice Nostro Pio: Dominus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra et non tradat eum in animam inimicorum eius.

Emi Viri JOSEPHI CARD. VIVES Y TUTO

ORATIO

AD CONVENTUM MARIANUM CONCLUDENDUM.

Emi Patres, Eximi Praesules, Viri praestantissimi et Fratres predilecti.

QUONIAM auxiliante Deo nostro, auspice Immaculata Matre nostra, per quam venerunt nobis omnia bona, ad felicem exitum Conventus Marianus perductus est, benedicamus Triadi Beatisimae, cuius saerarium et templum facta est Virgo superpurissima, vel ab ipso primo instanti mirabilis Conceptus eius.

Gratias agamus Deo Patri omnipotenti, cuius est filia augustissima Maria sine labe originali concepta.

Gratias agamus Deo Filio, qui mundissimam et omni puritate candidissimam sibi matrem praeparavit et ornavit Virginem Mariam.

Gratias agamus Deo Spiritui Sancto, qui omni sanctitate decoratam, omni gratia ditatam, infabilibusque privilegiis donatam voluit Sponsam suam peramantissimam, Immaculatam Virginem Deiparam.

Cantemus Dominae nostrae, Reginae nostrae, Matri nostrae dulcissimae, sine labe originali conceptae, quoniam laudatores sibi fecit feliissimos, clientes dilectissimos quotquot Conventi Mariano devote adstitistis.

Respicere ergo, Purissima Virgo, de excelso habitaculo tuo hanc te circumstantem filiorum coronam, quae te totam pulchram, totam sanctam, totam immaculatam proclamat.

O Immaculata, quae Virgo Sacerdos ideo dicta es, quia, teste Saneto Antonino Praesule

Florentino, quidquid dignitatis vel gratiae in sacerdotio confertur de hoc plena fuisti, sanctifica precibus tuis hanc praesentem sacerdotum et clericorum catervam in tuis landibus hodie congregatam.

O Immaculata, ornatum splendidissimum et tutamen insuperabile Romani Pontificis, Christi in terris Vicarii, quam Doctores mariani Dia-dema Ecclesiae vocant, Aulam regalem S. Ecclesiae, antonomastice Matrem Papae, Cor Ecclesiae, Rationale Divini Summique Pontificis, id est Christi, quaeque a Divo Thoma a Villanova amplissimis etiam Supremi Pastoris peramantis comparata, Thiara Pontificis dieta es, tota aurea, tota divina, ex auro purissimo, in qua sculptum est sanctum Domini; et a S. Antonino ideo pastori Supremo comparata, quia paseis Ecclesiam continue benedicto fructu ventris tui; o Purissima, o Sanctissima Pontificis aeterni Mater, cuius beatis pedibus Pontifices ipsi Mariani, Petri successores devotissima supplicatione provolvuntur; O Maria Stella Maris, quae infallibilem Magistrum nostrum splendissime illuminas, Anchora Naviculam Ecclesiae stabiliens et spiritualium Piscatorum Principem firmans; intercede pro SSmo Domino Nostro Pio, ut Filius tuus conservet eum et vivificet eum et beatum faciat eum in terra, salutarem de inimicis Ecclesiae triumphatorem, et inter Marianos Pontifices in aeternum beatissimum.

O Immaculata, quam S. Epiphanius Purpuram regiam vocat, quae caeli terraeque Regem induit, S. Hieronymus Purpuram verissimam ad indumentum et gloriam summi Regis, miserere famulorum tuorum S. R. Ecclesiae Cardinalium, qui te Matrem, exemplar et fortitudinem habent, tuoque patrocinio gloriantur.

O Immaculata, Episcoporum Solamen et gloria, quae omnium Ecclesiarum sollicitudinem in summo semper habuisti, da precibus tuis, ut quibus praesunt magis in dies proficiant, ut multarum animarum corona exornati, divini Episcopi animarum nostrorum misericordias cantare mereantur in caelo.

O Immaculata, quam precones tui sanctissimi Matrem celebrant Summi Sacerdotis

Iesu Christi, Sacerdotem pariter et altare, quae quidem mensam ferens, dedit nobis caelestem panem Christum, Gloriam et Gloriationem Sacerdotum, Dispensatricem thesaurorum Filii tui, ora pro Sacerdotibus et Clericis, qui te Reginam Cleri, Sacerdotum Magistrum agnoscunt.

O Immaculata, quam idem S. Antoninus Observatricem proclamat perfectissimam mandatorum et consiliorum Dei super omnes, et Consolatricem Religiosorum, perfice vineam eletam regularium familiarum, quam speciali cultura plantavit dextera Filii tui, eamque ab omni incursu impiorum defende et materna consolatione conforta.

O Immaculata, Refugium Christianorum, Honorificentia populi nostri, Firmamentum erendentium, Gloria omnium fidelium qui glorificant te, sentiant omnes tuum iuvamen; fac ut omnes filii tui in hoc Conventu tuo adunati, in fide, spe et charitate proficiant, et in omni virtute, corde, ore et opere cum Anselmo tuo clamantes:

*Quod requiro, quod suspiro, mea sana vulnera:
Et da menti te poscenti gratiarum munera.
Ut sim castus, et modestus, duleis, blandus, sobrius;
Pius, rectus, circumspectus, similitatis nescius;
Eruditus, et munitus sacris exercitiis;
Constans, gravis, et suavis, benignus, amabilis;
Simplex, purus, et maturus, patiens et humilius;
Corde prudens, ore studens veritatem dicere:
Malum nolens, Deum colens pio semper opere.*

GERARDUS MAIELLA.

ROGATUS ut de Gerardo Maiella, nuperrime in album Sanctorum relato, breviter aliquid referrem, satis esse duxi tres hic exscribere hymnos, quos pro mea in sanctum Soda-lem veneratione composui. Horum primus Gerardum inducit puerulum, ac Pueri Iesu mira familiaritate fruentem; alter exhibit adolescentem, Christi crucifixi adeo amantem, ut in deliciis habuerit, ad divini Magistri exemplum, aspera quaeque perpeti et in ipsa pendere cruce, quum in sua patria saerum Golgothae spectaculum repraesentaretur. Tertius hymnus Gerardi apud Deum insignem auctoritatem extollit; qua instruetus, tam mira sive inter vivos sive post obitum opera perfectit, ut recentiorum temporum Thaumaturgus vulgo sit appellatus.

Natus est Gerardus in oppido Muro apud Lucanos, die xxiii mens. Aprilis an. MDCCXXVI.



Dum Marianae artium exhibitionis
aditialis sessio habetur
Purpuratos Patres adstantes photographice expressit X.

Ab ipso conditore anno MDCCXLIX, in Conptoris admissus, trien nuncupavit tamquam die xv mens. Octobris a est, trigesimum aetatis sus, at caelo in ipso famaque sanctitatis et simus. Eius sacra ossa, non semel erupit, in oposele), ubi diem sunt, in templo Patroni riostum mox evasit. Hodie pii peregrini, non alpini etiam ac transm

*Orat Gerardus;
Fixis ocellis
Inter Mariae
Iesu Puelli i*

Sexennis orat, li

*Non doctus u
Sed plenus a
Qui sponte m*

*Orans, amare nit
Dulcem Marie
Dulcemque M
Ut dent aman*

*Supplex quid inn
Non impetrat
Materna Iesu
Comes Gerard*

*Et qui sinebat pa
Ad se venire,
Laetus Gerard
Iussum redire*

*Ac pane donat car
Quem mox, mi
Caelestiore pab
Sui beabit corp*

II.

*Orat Gerardus, grata
Annisque iam pr
Christum, maden*

*Crucique adactu
« O reddar, - inquit,
Iesu, tuorum pa*

*Quo dux praeista
Da me sequacem*

*Effatus haec, ample
Crucem; sibique
Quos suerit arbo
Fructus acerbos*

*Egere gaudet; infini
Laetatur inter m
Spretus, triumph*

*Calummiae silent
Corpus labore plurim
Exercet ac ieund*

*Ictum flagellis, i
Deo placentem v*

*Quin et corona spin
Cinctus, crucis s
Immittit, unde p
Christi refert im*

ter et altare, quae
t nobis caelestem
Gloriationem Sa-
saurorum Filii tui,
icis, qui te Regi-
stram agnoscunt.
S. Antoninus Ob-
etissimam manda-
er omnes, et Con-
fice vineam ele-
m, quam speciali-
ii tui, eamque ab
le et materna con-

christianorum, Ho-
firmamentum ere-
elium qui glorifi-
iuvenam; fac ut
tu tuo adunati, in
nt, et in omni vir-
Anselmo tuo cla-

sana vulnera:
m munera.
s, blandus, sobrius;
ltatis nescius;
citis;
mus, amabilis;
ens et humili;
tem dicere:
semper opere.

AIELLA.

aiella, nuperrime
ato, breviter ali-
tres hic exscri-
sanctum Soda-
rum primus Ge-
Pueri Iesu mira-
chibet adolescen-
tantem, ut in de-
ristri exemplum,
sa pendere cruce,
olgothae specta-
us hymnus Ge-
auctoritatem ex-
sive inter vivos
e, ut recentiorum
ro sit appellatus.
ido Muro apud
is an. MDCCXXVI.



ibitionis
r
nace expressit X.

Ab ipso conditore Alphonso M. de Ligorio, anno MDCCXLIX, in Congregationem SS. Redemptoris admissus, triennio post, vota religiosa nuncupavit tamquam sodalis laicus. Sed iam die xv mens. Octobris an. MDCCCLV vivis eruptus est, trigesimum aetatis annum nondum emensus, at caelo in ipso iuventutis flore maturus, famaque sanctitatis et miraculorum celebratissimus. Eius sacra ossa, unde prodigiosus liquor non semel erupit, in oppido Capite Silari (*Capo Sila*), ubi diem supremum obierat, condita sunt, in templo Patrum SS. Redemptoris. Gloriosum mox evasit Gerardi sepulcrum, quod hodie pii peregrini, non solum Itali, sed transalpini etiam ac transmarini invisi solent.

I.

*Orat Gerardus; sculptilem
Fixis ocellis suspicit,
Inter Mariae brachia,
Iesu Puelli imaginem.*

*Sexennis orat, litteras
Non doctus ullas, Spiritu
Sed plenus almo, simplices
Qui sponte mentes erudit.*

*Orans, amare nititur
Dulcem Mariae Filium,
Dulcemque Matrem; copiam
Ut dent amandi, postulat.*

*Supplex quid innocentia
Non impetrat? Iam brachia
Materna Iesus deserens,
Comes Gerardo iungitur.*

*Et qui sinebat parvulos
Ad se venire, parvulum
Laetus Gerardum suscipit,
Iussum redire saepius.*

*Ac pane donat candido,
Quem mox, ministris angelis,
Caelestiore pabulo
Sui beabit corporis.*

II.

*Orat Gerardus, gratia
Annisque iam proiectior;
Christum, madentem sanguine
Crucique adactum, suspicit.*


*«O reddar, - inquit, - vulnerum,
Iesu, tuorum particeps!
Quo dux praeisti, militem
Da me sequacem tendere».*

*Effatus haec, amplectitur
Crucem; sibique deligit,
Quos suevit arbor aspera
Fructus acerbos gignere.*

*Egere gaudet; infima
Laetatur inter munia;
Spretus, triumphat; obiicit
Calumniae silentium.*

*Corpus labore plurimo
Exercet ac ieunis;
Ictum flagellis, immolat
Deo placentem victimam.*

*Quin et corona spinea
Cinctus, crucis se brachiis
Immittit, unde pendulam
Christi refert imaginem.*



FR. PODESTI PICTURA MURALIS
effingens Deiparae Vaticanae imaginis coronationem
a Pio PP. IX die viii mens. Decembris an. MDCCCLIV peractam (Cf. num. sup.).

III.

*Qui regit nutu Deus universa,
Res tibi cunctas voluit, Gerarde,
Subditas: ut iam videare, fando,
Omnia posse.*

*Voce tu febres abigis; solutos
Tabe pulmones renovas; necque
Subtrahis matres sobolesque, partus
Inter acerbos.*

*Corrigis verbo vitiata vina;
Horreum ditas vacuum; lagenam
Integras fractam, veteri repletam
Rursus olivo.*

*Vortices calcas liquidos; in auram
Tolleris, pluma levior; voraces
Murium turmas, mala vix precatus,
Sternis in agro.*

*Fidus ut dux sit, Satanam coeres;
Hunc ab obsessis fugitare membris,
Hunc et a pravis animis repente
Cedere cogis.*

*Limpidum rorem tua de sepulcro
Ossa distillant, redolentque suavi
Ture, quo virtus tua se videtur
Prodere mira.*

*Imperas orbi, Domino quod orbis
Obsequi gaudes: O et obsequentes
Redde nos tecum famulos, Deique
Semper amantes!*

*Sint tibi laudes, Pater atque Fili,
Flamen et dirum: Deus unus, ex quo
Prodit, ac in quem remeat tributa
Gloria Sanctis.*

FRANC. X. REUSS, SS. Red.

ALEXANDER SAULI.

ALEXANDER SAULIUS, quem Pontificis oraculum inter Sanctos nuper evexit, ortus est Mediolani die xv mens. Februarii an. MDXXXIV, nobilissimo quidem genere, quippe pater eius, Dominicus, Genuensis esset Marchio atque ad Insubres transmigrasset ut supremi magistratus praefecturam gereret; mater autem ex patricia pariter Genuensi familia Spinola ei contigisset.

Iam a teneris unguiculis ad pietatem rectos que vitae mores institutus, virtutis ac sapientiae praebuit indicia non dubia, ita ut vix quatuordecim annos natus Papiam missus fuerit qui studia litterarum, humanarumque rerum et iuris prosequeretur. At simul ad virtutem grassabatur sive quum exemplo condiscipulis evaderet, sive etiam contumelias negligens quas in eum comites turpi mente ingerere etiam non dubitarunt.

Caroli V regius famulus factus Mediolanum redivit, ubi desiderio captus nomen suum tradendi Congregationi clericorum regularium S. Pauli Apostoli, vulgo *Barnabitum*, quae nata recens omnium civium eum admiratione florebat, post sublatam per urbis vias humeris erueem atque Christi poenitentiam publice professum, mense Maio an. MDLVI in coenobium S. Barnabae acceptus est, ubi die xv mens. Augusti clericales induit vestes.

Praetereo oboedientiae, humilitatis omnisque perfectionis ab eo tum tradita documenta, quibus factum est ut mense Martio an. MDLVI eum omnium plausu sacerdotium accepit. Iuvenibus in scholis instituendis adductus tum Papiae tum alibi, totum simul se dedit sacerdotii operibus, navitate quidem summa atque Christi assecula vere digna. Non mirum igitur quod, licet trium ac triginta annorum, rector generalis Congregationis sua fuit renunciatus.

At viri fama Romam usque manaverat: itaque Paulus V P. M. quum Aleriam civitatem diligenter episcopo ditare vellet, Saulium delegit, qui episcopatum tamquam Dei iussu sibi creditum amplexatus est, seque novo oneri omni animi contentione addixit, neque per annos viginti et unum unquam defuit, ut cognomen Angeli omnem Corsicam insulam tuentes meritus sit.

Gregorio PP. XIV, qui cum eo familiaritate summa utebatur, — non secus ac sanctissimi eiusdem temporis viri, inter quos Carolus Borromeo, cuius animam Saulius est moderatus, ac Philippus Nerius, — Alexandrum ad Papensem dioecesim regendam transtulit, in eamque civitatem revocavit, cuius in athenaeo iuvenis docuerat atque « decanus » scolarum divinae scientiae habebatur. Non tamen provinciae illius diu gubernium obtinuit; quum enim visitationem eam, quam pastoralem appellant, perageret, crudeli morbo correptus est in oppido Calasso die xi mens. Octobris an. MDXCI. Inde venerabile corpus in Papiense cathedralē templum traslatum est, ibique reconditum atque indesinenter honoribus cultum ob mirifica prodiga a Deo, Saulio intercedente, patrata.

DE ARTE POETICA LUDICRA
SEU DE POESI ARTIFICIOSA.

IAM antiquissimis temporibus, sed potissimum laeo, ut aiunt, Alexandrino (III - I a. C. n. saeculo) plerique Graecorum, in condendis carminibus, quaedam artificio invexerunt, lusus nuncupata.

Haec ars poetica ludicra, seu poesis artificiosa complures habuit sectatores apud Latinos. Multiformis generis ea est: modo in litteris, modo in verbis, modo in metro, modo in versibus, modo in ipsa structura carminis. De unoquoque genere singillatim agemus.

Lusus in litteris.

Lusus in litteris est primo in carminibus *alphabetis* dictis, quia prima littera cuiusque versus est ordine alphabeticus. Hoc artificio nostros poetae imitati sunt non solum Graecos, verum etiam Hebraeos.

Notum est enim primas litteras nonnullorum Davidis psalmorum et capituli prioris threnum Ieremiae prophetae succedere hoc ordine: *aleph, beth, ghimmel, daleth*, etc. Exempla horum carminum apud Latinos praebuerunt, praeter alios, Comodianus, qui primus omnium carmina rhythrica, id est sine observantia legum prosodiae earum composuit saeculo III p. C. n., et Sedulius saeculo V in carmine deseribente Christi vitam. Ut aptarent autem hi poetae litteras graecas alphabeto Latino nonnullas praestigias adhibuerunt: litteram *y* seriperunt sine *h*, et litterae *X* (*es*) Latinae substituerunt litteram *X* (*ch*) Graecam.

Proinde apud Sedulium legimus:

*Imnis venite dulcibus
Xristo myron post sabbatum* (1).

Alius lusus in litteris invenitur in carminibus *acrostichis*, *mesostichis* et *telestichis* nuncupatis. In acrostichis primae litterae cuiusque versus, eo ordine quo exaratae sunt, efficiunt aliquem sensum. In mesostichis quaedam litterae mediae cuiusque versus, eo ordine quo conscriptae sunt, perficiunt pariter sensum. In telestichis denique extremae litterae cuiusque versus, eo ordine quo exaratae sunt, idem faciunt.

Aerostichis solis iam usi sunt antiqui Romanī. *Ecce nū, si filii tuenda est Ciceroni* (*De divinit.*), Ennius poeta opus quoddam confecit, in cuius primis litteris legitur iterato: *Q. Ennius fecit*. Item Aurelius Opilius grammaticus, in prohaemio libelli *Pinax* inscripti, eodem modo nomen suum declaravit. Post C. n. poetae nostri hoc artificio valde delectati sunt, telesticha cum aerostichis in eodem carmine inserentes. Tale est epitaphium quod sibimet scripsit Eugenius Toletanus saeculo VII:

*Excipe, Christe potens, discretam corpore mentem,
Ut possim picei poenam vitare barathri.
Grandis inest culpa, sed Tu pietate redundas,
Elue probra, Pater, et vita criminis tolle.
Non sim pro meritis sanctorum coetibus exul,
Indice Te proxit sanctum vidisse tribunal. —
Vis, lector, uno qui sim dignoscere versu?
Signa priora lege, mox ultima nosse ralebis.*

(1) Psalmus S. Augustini contra partem Donati est quoque abecedarius seu alphabeticus, sed tantum usque ad litteram U. Pro tribus ultimis litteris stat epilogus, ut ipsem ait. (*Retract.*, lib. I, cap. XX).

Ibi enim in aerostichis indicatur eius nomen: « Eugenius »; in telestichis cognoscitur eius status: « misellus ».

Simile est Carmen in honorem Sedulii composite, in cuius primis litteris decurrit verbum: « Sedulius », in extremis verbum: « antistes »; itemque Nicholai eiusdem, in cuius primis litteris legitur « Nicholao », in extremis: « Euanthus ».

Denique reperiuntur quoque mesosticha cum aerostichis et telestichis. Tale est Carmen viginti hexametris constans Optatiani Porfyrii, quod incipit:

Fortia facta ducis toto dominantia iam nunc.

Ibi enim litterae primum locum obtinentes coniunctae significant: « Fortissimus imperator »; quae quartum decimum locum occupant exprimunt: « Clementissimus rector »; in iis vero quae ultimum locum tenent legitur: « Constantinus invictus ».

Lusus tertius in litteris sunt carmina *symbolica*, ea scilicet in quibus maior vel minor numerus litterarum in singulis versibus representat aliquod obiectum. In hoc artificio principem locum tenet Porfyrius praedictus, qui, Constantino imperante relegatus, quo veniam impetraret poenae, quum iam antea novas vias tentasset in carminibus, ad vicennalia eius celebranda librum edidit operosissimum, quo meruit ab exilio liberari. In hoc libro, inter multa alia non inepta ioea, est Carmen quod arae, aliud quod fistulae, aliud quod organi figuram exhibet. Carmen quo ara effingitur, conflatus versibus iambieis trimetris XXIV, habet in summa parte versus duos litterarum XXVI; deinde versus quattuor litterarum XXXVIII, XXXVI, XXXIV, XXXII. Hi excipiuntur duodecim aliis, quorum singuli habent litteras XXVIII. Succeedunt tres litterarum XXX, XXXII, XXXIV. Finem faciunt tres pro se quisque litterarum XXXVI. Porfyrius, imitatus in hoc carmine Besantinum poetam Graecum, eum arte superavit.

Carmen quod fistulam representat est versus heroicorum XV. Figuram fistulae pariter designat numerus litterarum modo auctus, modo imminutus, et minimus est XXVI.

Carminis organum representantis pars superior XXVI versibus heroicis constat, inferior totidem dimetris iambicis catalecticis. Unusquisque iambicorum habet litteras XVIII; brevissimus heroicorum habet litteras XXV. Horum ceteri crescent singulis, ita ut maximus duplicet numerum minimi.

Interponitur autem in media parte, quasi regula vel, ut aiunt, « clavis » organi, hic versus heroicus:

Augusto victore iurat rata reddere rota.

Lusus in litteris est quoque *alliteratio*, seu consonantia litterarum initio vocum sibi succendentium. Exignum tum apud Graecos, tum apud Latinos huins lusus appetit studium, nisi in Comicorum libris ad movendum risum. Notus est tamen apud Latinos versus Ennii:

O Tite tute Tate tibi, tanta tyranne tulisti;

et hic Naevii:

Libera lingua loquamus ludis liberalibus.

Quos imitatus
Dum rapit ra
Foedere fida fi

Optimis poetis di
vitiosam appellata
Cassandra canem
men auctor laud
hanc: *Sale saxa*
inquit, bene imita
enim est « onomatope

Lusus pariter
nantia vel in fine
et in fine eiusdem
duorum versuum
versus consonantia
lantur *leonini*. Utrum
exempla non min
cos, quam apud I
specimen praebuit
II, 3, 99):

Non satis est pulch

Et quocumque vol

Et Satyrar., I, 1,

.....

Posterioris consonan
derunt Vergilius e
Limus uthic durescit,

Quot caelum stellas,

In allatis exemplis
semper in duabus
sed ea quae fit in
finem versus potes
in extrema syllaba

Ne tamen ignores

Troiaque nunc star
Et maris et terrae
Unum impetrassene

Attamen in versib
cupatis, qui tantop
ut aiunt, aevi, ines
syllabarum. En ex

Vitae praesentis se
Cum neutrum dure
Omnis in hoc mundu
Quam ventus iacta
Sunt mala mixta bo
Impare mensura, q

(HAGEN, C

(Ad proximum nume

(1) Consonantia verbo
citur *rima perfecta*; in e
dicitur *rima imperfecta*.

catur eius nomen:
gnoscitur eius sta-

rem Sedulii com-
eris decurrit ver-
is verbum: «anti-
iusdam, in cuius
doo», in extremis:

ne mesosticha cum
de est carmen vi-
ptatiani Porfyrii,

tantia iam nunc.

loem obtinentes
rtissimus impera-
m loem occupant
s rector »; in iis
ent legitur: « Con-

nt carmina symbo-
maior vel minor
is versibus reprea-
hoc artificio prin-
s praedictus, qui,
gatus, quo veniam
n antea novas vias
vicennalia eius ce-
ssimum, quo me-
e libro, inter multa
armen quod arae,
quod organi figu-
ra effingitur, con-
metris XXIV, habet
litterarum XXVI;
erarum XXXVIII,
i excipiuntur duo-
li habent litteras
rum XXX, XXXII,
pro se quisque lit-
nitatus in hoc car-
raecum, eum arte

raesentat est ver-
am fistulae pariter
modo auctus, modo
XXVI.

entantis pars su-
s constat, inferior
atalepticis. Unus-
teras XVIII: bre-
itteras XXV. Ho-
ita ut maximus

a parte, quasi re-
rgani, hic versus
eddere vota.

alliteratio, seu
voeum sibi suc-
d Graecos, tum
ret studium, nisi
dum risum. No-
versus Enni:
ranne tulisti;

liberalibus.

Quos imitatus Venantius Fortunatus scripsit:

*Dum rapit rapitur rapiendo rapina rapaci
Foedera fida fides formosa foeda fidelis.*

Optimis poetis displicuit alliteratio; et Servius
vitiosam appellat locutionem Vergili: *Casus
Cassandra canebat* (*Aen.*, III, 183). Idem tam-
en auctor laudat eiusdem poetae locutionem
hanc: *Sale saxa sonabant* (*Aen.*, V, 866), quia,
inquit, bene imitatus est maris stridorem. Ibi
enim est «onomatopeia», quae est figura rhe-
torica.

Lusus pariter in litteris est harum consonantia vel in fine duorum versuum, vel in medio et in fine eiusdem versus. Consonantia in fine duorum versuum appellatur italice *rima* (1); versus consonantes in medio et in fine appellantur *leonini*. Utriusque consonantiae rara sunt exempla non minus apud poetas optimos Grae-
cos, quam apud Latinos. Prioris consonantiae specimen praebuit Horatius, scribens (*Epistol.*, II, 3, 99):

*Non satis est pulchra esse poemata: dulcia
[sunto]
Et quocumque volent animum auditoris
[agunto].*

Et *Satyrar.*, I, 1, 79:

*..... Horum
Semper ego optiarim pauperrimus esse bono-
[rum].*

Posterioris consonantiae specimen de-
derunt Vergilius et Ovidius:

*Limus ut hic durescit; et haec ut cera liquescit.
(VIRG., Ecl., VIII, 80).*

*Quot caelum stellas, tot habet tua Roma
[puellas].
(OVIDIUS).*

In allatis exemplis consonantia est
semper in duabus syllabis extremis;
sed ea quae fit inter medietatem et
finem versus potest etiam esse tantum
in extrema syllaba, vel littera, ut hic:

*Ne tamen ignores quo sit Romana loco res
(HORAT.).*

*Troiaque nunc stares Priamique arxa alta maneres
Et maris et terrae coeca pericla viae,
Unum impetrasset te revocante diem.*

Attamen in versibus proprie «leoninis» nun-
cupatis, qui tantopere placuerunt poetis medii,
ut aiunt, aevi, inest semper similitudo binarum
syllabarum. En exemplum:

*Vitae praesentis si comparo gaudia mentis,
Cum neutrum duret, nemo reprehendere curet.
Omnis in hoc mundo fidens est sicut harundo;
Quam ventus iactat fluviusque simul labefactat;
Sunt mala mixta bonis humanae conditionis
Impare mensura, quia mixta bonis mala plura.
(HAGEN, *Carmina medii aevi*, p. 164).*

(Ad proximum numerum).

I. CLERIC.

(1) Consonantia verborum in binis syllabis extremis di-
citur *rima perfecta*; in extrema tantum syllaba vel littera
dicitur *rima imperfecta*.



ACTA PONTIFICIA


SS. D. N. PII PP. X.

MOTU PROPRIO

De constabilienda conditione hierarchica
Ordinum Scholarum Piarum et Minorum in
Hispania.

Singularitas regiminis, ex qua, veluti ex salubri
quodam nexu, vim ac regularis observantiae tutelam
Religiosi Ordines mutuantur, superiore saeculo, ob
peculiaria adiuncta, gravissima illa quidem praeter
ordinem, sic in Hispania ab Apostolica Sede
temperari debuit, ut moderatores instituerentur, qui,
vario nomine, Religiosos omnes, in Regum Catholico-
rum ditione degentes, supra auctoritate regen-
ter; ita tamen ut, etiamsi hi totius Religiosae Fa-
miliae antistites appellaruntur, nulla potirentur po-
testate in exterum Provinciarum alumnos.

At vero huiusmodi Regularis Hierarchiae conditio,
annorum decursu, multis magnisque, tum intra tum
extra Hispaniae fines, difficultatibus patuit; ut ideo
innumeris censerentur Religiosi viri, ex omni Ordine



Dum Coetus Marianus sessio altera habetur
imaginem photographice expressit X.

omnique gradu, qui, laudabili studio, contendenter ad
pristinam regredi regiminis unitatem, qua vel ipsis
Hispanis multo fuerat gloriosior, ob dignitates ac
munera, quibus Romae plures eorum fuerunt quovis
tempore honestati, magna totius Catholicae Nationis
commendatione.

Pro rerum igitur adiunctis, huic Religiosorum studio
restituenda veteris, Ordinis cuiusque proprii, uni-
tatis Sedes Apostolica ultro satisfacere conata est.
Quonobrem Religiosae Familiae pleraque omnes unico
iam regimine gubernantur. Quod quam feliciter sit
factum ipsi Religiosorum coetus manifestant, qui, in
decorum pristinum revocati, adeo inter Hispanos flo-
rent, ut patriae genti maximo sint ornamento. Quod
si ceterae Religiosorum consociationes, quae nondum
unitate regiminis fruantur, provehi et amplificari
cognoseuntur, id debetur maxime bonae alumnorum
voluntati, qui, non modo Sedis Apostolicae mandatis
stare semper parati sunt, sed cum supremis praeterea
sui cuiusque Ordinis moderatoribus animo coniunguntur;
unde et adstatores Romae habere de gente
sua apud eosdem supremos Moderatores gaudent et
gloriantur.

Iamvero, dum Franciscales Minores atque Ordo
Scholarum Piarum eo regimine, in Hispania, uti per-
gent, quo nunc utuntur, quodque Nos peculiaribus de
causis permittimus ac toleramus ad nutum Sanctae
Sedis; ut sarta sit atque tecta eorundem Ordinum
substantialis unitas, quam Sedes Apostolica nunquam
sublatam voluit, et ut certae tutaeque habeantur
normae circa potestatis amplitudinem Moderatorum
dictorum ordinum in Hispania, ipsorumque cum su-

premo totius religiosi Ordinis Antistite coniunctionem
edicimus atque in virtute sanctae obedientiae iubemus
qua sequuntur:

I. Vice-commisarius apostolicus Fratrum Minorum
in Hispania itemque Vicarius Generalis Scholarum
Piarum sunt vere Vicarii Generales, alter Ministri
Generalis alter Praepositi Generalis Ordinis cuiusque
sui. Uterque appellatione *Vicarii Generalis Minorum in Hispania* et *Vicarii Generalis Scholarum Piarum in Hispania* tanquam priva et propria utetur.

II. Ambo eligentur in *Capitulo interprovinciali hispanico*: hoc enim vocabulo Capitula eiusmodi desi-
gnabuntur. Electores vero, sive ut aiunt *Vocales*, qui
dictis Capitulis interererunt, idem habebuntur qui in
ceteris Ordinis Provinceis, in Capitulo generali adesse
iis habent. - Porro Capitula interprovincialia sexto
quoque anno cogentur, elapo mense a Capitulo Gene-
rali celebrato.

III. Assistentes seu Definitores Vicarii Generalis
hispanici, quavis alia appellatione abrogata, *Assis-
tentes seu Definitores interprovinciales Hispaniae* vo-
cabuntur. - Eorumdem electio in Capitulis interpro-
vincialibus fiet.

IV. Vicarii Generales eorumque Assistentes seu
Definitores ultra sexennium suo quisque munere fungi
nunquam poterunt, nisi ex peculiari Sedi Aposto-
licae facultate. Munere autem cedent post
mensem a celebratione Capituli Generalis
in quo vel Moderator supremus eligitur, vel
saltem Definitores novi sufficiuntur.

V. Auctoritas Vicariorum Generalium
Hispaniae quum sit tantum in Religiosos
homines qui in terris hispanis degunt; iidem
Vicarii in domos seu coenobia, ultra mare
sita, delegata tantum auctoritate potentier;
eo modo eaque amplitudine, quae Su-
premis Ordinis Antistitibus videbuntur.

VI. Porro auctoritas haec in transmarinas domos sic a Moderatori Generali
communi pacto cum vicario hispanicus definietur, ut quae sequuntur leges minime
praetereantur:

a) Missio ac revocatio Religiosorum
fiet a Vicario Generali, exhibito prius con-
sensu Moderatoris Generalis.

b) Item Vicarii Generalis erit designare
eos, qui domos transmarinas regant; id ta-
men non sine praevio consensu Ministri seu
Praepositi Generalis fiat, praesertim ubi de
majoribus Superioribus diligendis agatur.

c) Ius atque officium Vicario erit, per
se vel per alium, transmarinas domos rite
invisendi, annuente tamen in antecessum Moderatore
Generali.

d) Quae Province Religiosorum trans mare
sunt, quin ab aliquo Provinciali Superiori in Hi-
spania dependant; earum Generalis Ordinis Mod-
erator unice Superior esto. - Quapropter nullus erit
locus auctoritati delegatae Vicariorum Generalium,
si transmarinae domus cum aliqua Hispaniae Pro-
vincia, veluti pars eius, minime cohaerant, vel cum
eadem in unam Provinciam vel quasi Provinciam
coalescant.

VII. Celebratio Capitulorum Interprovincialium
Hispaniae, itemque eorum confirmatio, neenon elec-
tionum in iis peractarum, ad unum totius Ordinis Mo-
deratorum privo iure pertinebunt.

(Ad proximum numerum)

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indul-
gentiarum et Sacrarum Reliquiarum:

Omnino eliminandus est abusus sacram Hostiam
deficiente pyxide inter corporalia asservandi, licet
modico temporis spatio. (Ex deer. d. xi mens. Iu-
nii M DCCCC IV).

— Expositio Sanctissimi in Ostensorio fieri nequit
ante Missam solemnem celebrandam, in qua Com-

muni puerorum vel aliorum fidelium solemniter ministranda est. (Ibid.).

— Tantummodo a tempore ad tempus quo Missa celebrari permittitur, Communio Christifidelibus ministranda est, non ultra praedictum tempus, nempe usque ad solis occasum. (Ibid.).

— Crux cum imagine Crucifixi, in medio altaris inter candelabra collocanda, in altari, ubi Sanctissimum asservatur, collocari nequit ante ostium tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum tabernaculum, non tamen in throno, ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum. (Ibid.).

— Ex eo quod Confraternitati Sanctissimi Sacramenti competit loci praecedentia in processionibus Eucharisticis, eidem etiam prae ceteris confraternitatibus ius adest substitendi hastas baldachini sub quo Venerabilis Eucharistia deducitur, necon portandi ad utrumque baldachini latus lucernas elatas. Non potest autem ab Ordinario mos permitti, cuius vi alias Confraternitates in Titularis sui festo processionem cum Venerabili Eucharistia peragentes consuevere hastas baldachini et utrinque lucernas elatas portare, data de cetero loci praecedentia Confraternitati Sanctissimi Sacramenti. (Ex deer. d. xi mens. Novembr. an. M D C C C C IV).

— Tolerari nequit consuetudo celebrandi unam Missam lectam in altari maiori quod est etiam chorale, dum in choro canitur *Prima*. (Ex deer. d. xi mens. Novembr. M D C C C C IV).

— Canonici Missam sollemnem celebrant s in ecclesia cathedrali adhibere licite nequeunt duo missalia, unum in cornu Epistolae, et aliud in cornu Evangelii. (Ibid.).

— Minime permittenda est praeintonatio *Gloria in excelsis* in Missis sollemnioribus a duobus cantoribus dum in choro canitur *Kyrie eleison*. (Ibid.).

❖ ❖

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. Oct. — die xx mens. Dec. M D C C C C IV).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites aliasque administratos qui sui eiusque muneric gratia Pontifice de more adiverunt, peculiari nota digni sunt, iuxta admissionis diem: Vandelkun doctor, publici Batavie coetus orator; sodalitas Tiburtina e Societate Iuuentutis Catholicae in Italia; Schaves dynasta, Brasiliae legatus; Albertus Blancae, novus Argentinae civitatis rerum gestor apud Pontificem; exenius vir Yong-Thane-Min, legatus extraordinarius Coreani imperii litteras ferens Caesaris sui; Emilius Prüm, Luxemburgensis coetus orator; Antonius de Cetto dynasta, Bavariae minister cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Joachim Caso, Boliviæ legatus extraordinarius; Maximilianus d'Erp, Belgarum pariter legatus; Amedeus de Astruado idem munus agens nomine Dominicanae reipublicae; Leining atque Otho de Westerbold et Gysemberg comites; Franciscus Schmid doctor, Helveticus foederis consiliarius; peregrini qui Romanum Conventus Marianum gratia convenerunt; legati iuuenium Catholicorum ex omni Italia; Albertus e regali Borussorum familia princeps; de Connaught dynasta ex Anglicâ regia stirpe; de Eu comes eiusque uxoris; de Merode Westerloo comes eiusque uxoris; de Urquijo marchio, publici Hispani coetus legatus; Ferdinandus Alvarez comes Toletanus; peregrinorum manus ex Belgis, Gallia, Mexicana civitate, exque Italiam provincias omnibus, ad octo millium hominum numerum.

Pontificiae electiones.

R̄mus vir Michael Faloci Putignani, dioecesis Fulginatus, vicarius, inter antistites dom. Pontif. refertur.

— R̄mus vir Achilles Quadrozzi, Verulanus, episcopus Forosempionen., et D. Castelli oppidi Busti Arstii praepositus episcopus Bobien. creantur.

— R̄ni Urbani antistites Raphael Scapinelli atque Nazarenus Marzolini a Secretis Commissionis ad bona Apostolicae Sedis ministranda dicuntur.

— Exenius vir Petrus Maffi, archiepiscopus Pisanus, praeses Vaticanae speculae renunciatur.

— Exenius vir Ioannes Tacci-Porelli, episcopus Civitatis Plebis, archiepiscopus Nicaenus eligitur, atque legatus Apostolicus Constantinopolim mittitur.

Vita functi viri clariores.

Die xiv mens. Novembri cursus vitae absolvit Marius Mocenni, Purpuratus Pater Episcopus, ob rei civilis et oeconomiae peritiam maximeclarus. Natus erat Faliscadunii anno M D C C C X X I I I .

Varia.

Die xxix mens. Oct in Vaticana aula vulgo delle Beatificazioni iuxta funebria Georgio III, Saxonum regi, persoluta sunt, adstante atque tumulo benedicente Pontifice.

— Die xxxi mens. Octobris a Pontifice sacram synaxim de more accipiunt Pontificiae laicorum familiæ nobiles addicti.

— Die xiv mens. Novembri Consistorium habitum est tum ad episcopos in sedes vacantes sufficiendos, tum ad ultima explenda ut proxime beati Gerardus Maiella et Alexander Sauli sanctorum honore augentur.

— Die v mens. Decembr. iterum Consistorium convocatur ad Saeri Senatus, Archiepiscoporum et Episcoporum vota colligenda circa eorumdem Beatorum canonizationem.

— Die viii mens. Decembr. Pontifex sacra solennia peragit in Vaticana basilica ob quinquagesimum annum expletum a definito dogmate Immaculatae Conceptionis B. M. V.

— Die xi mens. Decembr. Pontifex in Vaticana basilica Sanctos declarat Gerardum Maiella e Congrè SSmi Redemptoris, et Alexandrum Saulum, episc. Aleriae ac deinde Papien, e Congrè Cleric. Reg. S. Pauli Apostoli, vulgo Barnabitum.

— Die xviii mens. Decembr. in Vaticana basilica Gaspar Del Bufalo, civis Romanus, conditor Cleric. Reg., a Pretioso Sanguine D. N. I. C. inter Beatos refertur. Pontifex ad vesperum eamdem basilicam novum virum caelitibus honoribus auctum veneraturus petit.

ANNALES.

Iaponicum bellum.

Pauui neque iidem Russis favorabiles nuncii ex ultima Asia postremo hoc temporis spatio allati sunt: Iaponii enim invicta constantia oppugnationem Arthuri portus prosequuntur, atque alio munitionum circulo superato pressius urbem obsidione cingunt; in mari autem hostium naves indesinenter tormentis bellicis petunt, easque vel demergunt vel inutiles prorsus efficiunt. Navitati vero huic opponitur nulla ferme in Mandchouria actio, ita ut coniicere liceat utrumque exercitum locis nunc occupatis hiemare posse.

Mirum quod de Kuroki, Iaponiorum imperatore, multo iam tempore nullum feratur verbum: ita magis ereditabilis fit iampridem prolata vox, ipsum in proelio supremum diem obiisse.



Balkanicae res.

Balkanica regio suarum dissensionum novum praebuit argumentum: inimicitiae enim inter Bulgaros atque Graecos rursus cruentis caedibus exarserunt; quinimo praedicatum est armatorum agmina in Macedoniam per fines Bulgarorum transiisse, neque gubernium ullum rei impedimentum obiecisse. Quamquam huiuscmodi facinoris fama confirmata minime est, atque dum scribimus quies omnino — pro tempore saltem — restituta videtur.



Africa in Germanos sedatio.

In Germanica Africa seditionis exhibito non sine sanguine pergit. Dum enim Kub ad oppidum Witbois rebelles retunduntur, alias caput tollunt, ita ut novum proelium ad Keetmonshoop committi oportuerit. Victores Germani evasere; incertum vero quid fuerit de manu militum Warmbad petentium, in quos noctu impetus est factus. Incolarum furor in frigi mancipites Germanos innocentes saeviens, spem inducit fore ut brevi sedition haec omnino reprimatur, quae satis magni momenti facta est.



Pacis foedera.

Inter tot belli tumultu iuvat pacis documenta recolere.

Washington firmatum recens foedus est inter Italiam et Civitates foederatas Nordicae Americae de arbitris pro nonnullis quaestionibus lege adeundis; Berolini inter Germaniam et Serbiam de commercii rebus invicem permundans.

Pacem denique compositam cognovimus inter eives Paraguayanae reipublicae, ope beneficia legatorum omnium gentium ad laudabilem hunc finem simul alite bono tandem aliquando conspirantium.

Quo quidem felici nuncio omen de nascitu anno omnibus populis ex animo trahere liceat!

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Belgica lex de divorcio, eo proposito emendata, ut facilis in dies fiat partium dissentientium compositio, adprobata est.

In Brasilia de classi innovanda lex lata.

In Gallia quum expensarum rationes examinarentur irrita nonnullorum popularium rogatio evasit de cultus expensis abrogandis: Combesia rogatio de foedere inter civitatem atque Ecclesiam rescindendo a popularium commissione recognita.

In Graecia coetui praeses Bonides renunciatus.

In Helvetia rei publicae ad an. M D C C C V praefectus Ruchet consiliarius. Foedus de commercio cum Italia sanciendum publici iuris factum.

In Hispania senatores legem in anarchistas novum foedus inter Apostolicam Sedem et Iberorum civitatem approbarunt. Quum autem apud populi legatos de militiae ratione innovanda disceptaretur, quumque ne inter administratos quidem consensus in re obtineretur, Maura ipse gubernio praepositus eiusque socii omnes a munere recesserunt. Iis novum collegium suffectum, in quo Aezarraga imperator primas habuit.

In Hungaria administratorum praeses Tisza propositus ratasque habuit coetus constitutioni quasdam immutationes, quibus licet « obstructionism » quod vocant retundere; deinde sessionis opus absolutum declaravit. Quum vero ad novos labores ventum est, ii qui gubernio obstant ad tumultus atque vim usque processerunt, ita ut coniicere liceat brevi fore ut, coetu dimissio, nova comitia indicantur.

In Iaponia resumptae civilis concilii sessiones regali oratione, in qua mentio favorabilis facta est de amicitiae cum exteris gentibus neutri parti in bello quod geritur faventibus; rogatio quoque legis oblata ad hodierni belli impensas sustinendas; virtus copiarum denique laudata ominaque acta de Iaponii regni victoria.

In Italia novus popularium coetus regia oratione inaugaratum est.

In Rumenia a praeerat, munus a
In Serbia novu
duce, electum.

PE

SUPERIORE mens
ut feriis Deipas
sueti itineris viciss
pus defuit.

Quae omisimus i
opportunitas et con
itaque acciderint i
primus venit Berol
gulano equo certe
duis matheseos disc
genio eoque praeon
nibus adfuerunt et
Venit Wilhelmus ip
ut tantum Pegasum
antequam faceret i
genio censuit, remq
lectis sociis commis
sem rem investiga
quidem dispositum
sui signis responde
tem ita ut, absente
Pegaso negatus est.

Non aliter quam
Pelletanica, ita p
tueri in ultimo orie
cere visa est. Nam
navigium, ferrea su
heio et illie s
libus; Chateurenai
dium missa fuerat,
detrementa, arenae t
moveri inde gravi a
redire in Galliam co
navis orientem versu
vissima loris caret,

Tutius profecto ite
tres, quorum maior na
dum compleverat. Hi
et pulchritudinem n
cupiditate capti ut
secum constituerunt
tissimo visu, de quo
rari, ipsi quoque fru
obolo muniti vacuisq
vehum ingredintur,
sellia sese inter viato
in retem, ubi sarcina
Hac cautela omnibus
quo quum pervenissen
peragrare laetissimi
venenum: lustrantib
centurio occurrit, ha
tatione responderunt;
ducti sunt, et ab eo re
re ad parentes, reduci
quaesierant. Rem tame
num, quem tamdiu cup
viderant.

Iniquum longe mag
Iacobus ille, qui Sah
iavit. Ah fallacem ho
mine suo classi quam
cere; sed infidi credito
publice venumdedere!
eius legatus Lutetiam

In Rumenia administri, quibus Gruitch doctor praearat, munus abdicarunt.

In Serbia novum administratorum collegium, Pasic duce, electum.

PER ORBEM.

SUPERIORE mense Romanum quum migrarem tantis ut feriis Deiparae sacris adessem, enarrandi consueti itineris vicissitudines et cura praeterit et tempus defuit.

Quae omisimus itaque supplere hodie et temporis opportunitas et contentus animus melius suadet. Quae itaque acciderint in memoriam quum revocaremus, primus venit Berolinensis ille mirabilis equus, Caligulano equo certe illustrior, qui operam dare perarduis matheseos disciplinis dicebatur, et humano ingenio equo praenobili pollere. Quot homines sessionibus adfuerunt et portentum tantum conspexere! Venit Vilhelmus ipse Caesar, qui iamiam in eo erat ut tantum Pegasum sibi ad pugnam eligeret. Verum antequam faceret inquirendum intimius de equi ingenio censuit, remque Stumpfio doctori eiusque delectis sociis commisit. Qui, postquam sedulo ad memorem rem investigassent, equum invenerunt optime quidem dispositum ita ut et minimis usque domini sui signis responderet, ratione vero omnino earentem ita ut, absente domino, nulla omnino equi peritia evaderet. Hoc fato Eliconius vertex novo huic Pegaso negatus est.



Non aliter quam equestris haec doctrina classis Pelletanica, (ita placet eam vocare), quae Gallo tueri in ultimo oriente oportaret, suam laudem abiciere visa est. Nam et *Furien-la-Gravière* loricatum navigium, ferrea sua munimenta novis semper rimis heic et illie hiare sentit, et viam praebere missilibus; *Chateaurenault* alia navis, quae eius in subsiduum missa fuerat, multa et gravia quum passa esset detrimenta, arenae tandem aliquando haesit, nec dimoveri inde gravi absque labore valuit; post quae redire in Galliam coacta est. Tertia itaque *Guichenia* navis orientem versus vela solvit, at haec salus novissima loricis caret, ballistis utitur invalidis....



Tutius profecto iter sibi selegerunt Senenses pueri tres, quorum maior natu decimumquartum annum nondum compleverat. Hi quidem quum maris adspectum et pulchritudinem nondum adsperxissem, una hac cupiditate capti ut salsas undas contemplarentur, secum constituerunt iter aliquod instituere, ut gratissimo visu, de quo tanta audierant miranda narrari, ipsi quoque fruerentur. Et plane: nullo licet obolo muniti vacuisque crumenis stationem ferrearum venum ingreduntur, currum petunt, et duo sub sellia sese inter viatorum pedes, tertius natu minor in retem, ubi sarcinae deponuntur, sese abdiderunt. Hac cantela omnibus ignoti Spediae portum tenuere, quo quum pervenissent, desilientes e curru, vias urbis peragrare laetissimi cooperunt ubique. At in cauda venenum: lustrantibus enim portum quum vigilum centurio occurisset, huic interroganti non sine haesitatione responderunt; qua re ad quae strem ad ducti sunt, et ab eo recogniti statim Senam, nunciata re ad parentes, reducuntur, qui tamdiu dolentes illos quaesierant. Rem tamen perfecerant pueri; nam oceum, quem tamdiu cupierant, reapse, et nulla impensa, viderant.



Iniquum longe magis fatum expertus est contra Iacobus ille, qui Sahariani deserti regem sese appellavit. Ah fallacem hominis mentem! Crediderat nomine suo classi quam tanto studio collegerat, parcer; sed infidi creditores quatuor libellarum millibus publice venumdedere! Neque satis: Mauritanus enim eius legatus Lutetiam adhuc tenet, unde pecuniae

defectu, discedere ei non licet. Hic finis novi regni; hoc Saharianae gloriae sepulcrum!



Si regni somnia haec, stultitia parta, pecuniae defectus dissolvit, alibi egestas supra hominum vitam perimit. Berolinense quoddam miserrimum spectaculum, haec quum scriberemus, rediit in mentem, summa paupertate comparatum. Ibi in cavea ad *Kiebersiass* viam quinque vivabant mendici, quorum alter sutoriae arti olim vacans, physico morbo corruptus est, et in cavea interemptus. In paleis quidem, quibus ad lectulum utebatur, pauper moritur homo; socii autem tanta egestate pressi nullum mortis eius numerum dedere, neque cadaver composuerunt, neque eduxerunt. Quatuor per dies et per noctes quatuor cum mortuo miseri habitarunt, quoque fetido odore coacti fenestram aperuere. Inde horrida res per odorem egredientes patuit civibus, atque vespillones vocati sunt, qui mortuum efferrant.

Haec ad sexcentorum huiusmodi exemplorum specimen adnotantur; nam hoc praesertim anno, rigiddissima hac hieme, pauperum egestas late maxime succrevit. Cum Londinensi urbe concludam, ubi tot sunt congestae divitiae, at vicissim egenorum turba in dies magis multiplicatur. Lustrant illi conferto agmine urbis vias ad decem millia, ad viginti millia convenientes, praeeunte ex eis veluti vexillario, qui hasce defert in hasta litteras: «Esurimus», vel «Deest opus, deest panis», et similia. Haec quamvis tanta beneficia publica et liberalitas in civitate illa sint, miseranda spectacula, nostra, quam tot laudibus efferimus, portendit humanitas, quae partis artium industrium miraculis, tantum divitibus lucrum, tantum opificebus miseriae disserimen attulit.

Agostino Largent. Vol. 2. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et soc., 1904. (Ven. lib. 1, 20).

La Stregoneria per J. BERTRAND. — Indidem. — (Ven. lib. 0, 60).

Elementi di sociologia cattolica per l'abate NAUDET. — Indidem. — (Ven. lib. 0, 60).

S. Girolamo del R. P. LARGENT. — Indidem. — (Ven. lib. 2).

AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.

I.

Trames sum, per quem currus rota fervida fertur,
sive vaporis vi, seu rapiatur equi.
Signite me dita: cui decessere parentes,
hunc maneo. Merito sors lacrimosa vocor.

II.

Thessaliae sum mons Musis sacratus. Omitte
litterulam: memoris sum decus usque virens.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet JOSEPHI ROMEO carmen recens editum, quod inscribitur:

VIRGINI DEIPARAE.

Aenigmata an. VII, n. X proposita his respondent:

1) Incus, Iuncus; 2) Exilis.

Ea rite soluta miserunt:

Ioan. Galbiati, *Mediolano*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — Io. Cantone Ceva marchio, *Ronco ad Bugellam*. — Alois. Berthé, *Montboron*. — Herm. Gini, *Aquis Taurini*. — Fr. Skiba, *Brestau*. — Ferd. Ferrari, *Vastalla*. — Andr. Pápay, *Pruzzina*. — Collegium Scholarum Piaram *Stettae*. — Call. Amalberti, *Abio Intemelio*. — Henr. Tarallo, *Neapoli*. — Ioan. Biagiarelli, *Pano*. — Zivirzina par., *Lohnau*. — Am. Robert, *Marteville*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — Em. Gschwind, *Praga*. — Petr. Garrone, *Pezzano ad Vercellas*. — I. A. Oudemans, *Traiecto ad Rhenum*. — Cam. Straschill O. F. M., *Vittaco*. — Seminarium Vicense. — E. F. Curran, *Terra nova*. — Alois. Cappelli, *Santis*. — Mich. Vidal, *Palma in insula Maiorica*.

Sortitus est praemium

JOANNES BIAGIARELLI,

ad quem missa est IOANNIS BAPTISTAE FRANCESIA comoedia latinis versibus scripta, cui titulus

SATURIO.

EPISTOLARUM COMMERCIIUM.

A SOCIS OMNIBUS veniam invocamus si hic *Vox Urbis* numerus aliquot eunctationis dies passus est. Figurae, quas de proxime instanti tempore volumus, morae causa fuere.

Cl. v. CAS.... TAR...., Plock; ALIISQUE SOCIS AD QUOS RES SPECTAT. — Pro missis carminibus gratias habemus. Quum vero carmen Fr. Xav. Reuss edidissetus, vobis satisfacere nequivimus.

Eidem cl. v. CAS. TAR. — Si dabatur occasio, circa librum quem optas tibi satisfaciemus.

Cl. v. I. BERK..., Stratii. — Ab amico Hispano hi tibi commentarii proponuntur: *La Lectura Dominicale*, Matriti, plaza de Sto. Domingo, 14. (Subnotatio annua ptas. 10). — *Piedad y Letras*, Valentiae, Escuelas Pias. (Subnotatio annua ptas. 5). — *La Revista Popular*, Barcinone, Calle del Pino, 5.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Patis* Phil. Cuggiani.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBI administratorem (Romam, via Alessandrina, 87) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

👉 IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. 👈